



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De honorandis Presbyteris, cap. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE HONORANDIS PRESBYTERIS
omnia eius opuscula pariter exusseris, iuxta
exemplum Pauli Acto. xix. quam ut perpe-
tuo sinas tuis populis tam nequiter ac pernicio-
se illudi, ac pro omnibus his incertis contra-
riisque nugis accipias hæc certissima verba
Christi. Matth. xx. Voca operarios, & redde
illis mercedem. Mar. ix. Quisquis potum dede-
vit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo,
quia Christi estis: Amen dico vobis, non per-
det mercedem suam. Et Luc. x. Dignus est ope-
rarius mercede sua. Aut clarissima hæc Pauli
ad Corinthios, Vnusquisque propriam merce-
dem accipiet secundum suum laborem. Et si
volens hoc ago, mercedem accipio. &c.

De honorandis Presbyteris.

Cap. XII.

VISITATOR.

In lib. 7. s. 14. AD hoc quartum præceptum pertinet, ho-
norare Senium: Item honorare Presby-
teros, qui verbo Dei nobis ministrant. Mini-
stri enim sunt verbi Dei, & nos verbum Dei per
eos habemus: sicut scribit Paulus j. Ti. v. Qui
In lib. de Abrogan. Missa. bene præsent Presbyteri, duplici honore digni
habeantur, maxime qui laborant in verbo & do-
ctrina. SV. Ego ne Idola illa rasa & oleata vlllo

dignos censeâ honore? At dixi eis ante quinque annos, Idola mundi, vnde vos habemus sacerdotes? proferte testimonium pro vobis: Vos onera intolerabilia orbis terrarum, sacerdotes non estis, & sacerdotes vos ipsos appellatis. Videtis quid meremini, insignes vos raptores & hypocritæ? **L V T.** Et ego ante septē annos publicè pronuntiaui & scripsi, quod non sit dubium, vniuersos hodie sacerdotes & monachos, cū Episcopis & omnibus suis maioribus esse idololatrias, in statu periculosissimo agētes. **B A R R.** Nec ego læuia in eos pronuntiaui iam pridem, & ex Euangelio probaui, Episcopos, Collegia, Monasteria, & quicquid huius populi est, non esse Christianos, neque ad Ecclesiâ Christi pertinere. **E C C L E.** Sed & ego falsos Prophetas esse dixi, Papam cum toto Regimine suo, quia omnes docuerunt, quod cōtra Deum est. **D O C T.** Quis furor? O fratres, quæ vos infania cœpit? Qua quæso authoritate aut lege sic pronuntiat & decernitis? Non legistis, circa quartum præceptum Dei, quod Episcopi & Principes, Plebani & Senatus, vtrumque scilicet dominium, sunt quàm maxime timendi, quia gladium domini portant? Quibus cauendum est, ne obloquatur vllus, quia lex dicit, Principi populi tui ne maledicas. Et iterum, Diis tuis non detrahas. **B A R R.** Quid ais adulator? An non legisti vnquam Bullam Lutheri nostri? Quicumque (inquit) dant operam, corpus, bona, honorē,

In cap. Babilo. cap. de Eucharist.

In lib. de iudicio Christi. congregatio nis.

In 500. art. art. 134.

In Ser. Attendite à falsis prophetis.

De X. preceptis ca. 4.

In lib cōtra statū Eccle.

DE HONOR. PRESBYTERIS.

*In serm. de
pœnitent.*

*Ad Senatū
Pragensē.*

*In Resolu.
conclu. 7.*

*In li. de A-
brog. Missa.*

que suum hoc exponētes, vt Episcopatus destruat̄ur, regimēnque Episcoporum deleatur, ij sunt dilecti filij Dei, ac verè Christiani, obseruantes mandatum Dei, repugnantes ordinationi Diaboli. M A R. Non ex animo, sed ex ira sic scripsit. Nam paulò ante mecum sensit, dicens, quod Presbyteri, Episcopi & Papa propter verbum Dei honorādi sunt, tanquam ij qui nobis Dei nostri verbum nuntiūmque afferunt, quod absoluti sumus à peccatis. B A R R. Vtuntur quidem in confessionibus & excommunicationibus ligandi & soluendi officio, sed iure nullo, abusūque damnaibili. Hac igitur rapina & peculatu sacrilego fecerunt, vt nusquā sit minus ligandi, & soluendi officium, seu clauēs, quàm apud ipsos. Nos autem omnes, qui Christiani sumus, habemus commune hoc officiū clauīū, id quod libellis contra Papam toties probaui. M A R. At nulli prorsus remittit Deus culpā, quin simul eum subiiciat, in omnibus humiliatum, sacerdoti suo vicario. Hanc equidem conclusionem assero, nec eget disputatione aut probatione, tanto enim omnium consensu approbata, Deus ergo non remittit culpam, nisi sit prior remissio sacerdotis, saltem in voto. S V E R. Quid nobis de omniū aut mulorum cōsensu? Ea enim certitudine & fiducia tentāda res est, vt non modo totius mundi iudicia pro foliis leuibus & summis aristis habeamus, sed & armati simus in morte aduersus portas inferi.

Quin etiam aduersus iudicium tentandis Dei pugnare, & cum Iacob contra Deum preuale-
re. M A R. Si nulli credis, cur quis credat tibi?

Credendum est tamen verbis Dei. Certe tex-
tus clarè sonat, Quodcunq; linguaueris. &c.

*Vbi supra.
In Resolu-
tio, concl. 7.*

Et illud Matt. 6. Vade prius reconciliari fra-
tri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuū. Et
illud, Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: &
quæ sunt Dei, Deo. Et oratio dominica, Dimit-
te nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus
debitoribus nostris. &c. In quibus omnibus

omnino prior remissio in terra significatur, q̄
ea quæ est in cœlis. Ideo ordine generali non
est nobis certa remissio culpæ, nisi per iudi-
cium sacerdotis, nec per ipsum quidem, nisi
credas Christo promittenti, Quodcūque sol-
ueris. &c. Hæc igitur illa dulcissima potestas,
de qua summas gratias ex imò cordis agere
debemus Deo, qui talem dedit potestatem
hominibus, quæ est vnica consolatio peccato-
rum & infœlicium conscientiarum, si modo
Christū vera promississe credât.

B A R R. Satis
mostratum est, apud Papistas Christi cog-
nitionem, fidem & Euangelium esse prorsus
incognita, nunc autem & damnata. Ideo &
procedit etiam eorum furor secundum cæ-
citatem, & claudunt cœlum, & aperiunt in-
fernum, sibi & suis. D O C T. At ego ho-

*Ad Senatum
Pragens.*

minem in agone mortis constitutum, sic di-
cere docui: Si absoluit me presbyter, aquiesco
eius absolutioni, tanquam verbis ipsiusmet

*In Serm. de
preparat. ad
mortem.*

DE HONOR. PRESBYTERIS.

*In lib. cōtra
Amb. Ca-
tharinum.*

*In sermo. de
excommun.*

Dei. Si autem sunt verba Dei, erit utique vera absolutio, in hoc persisto, super hoc morior. Tam firmiter enim credere debes absolutio- ni presbyteri, ac si Deus specialem angelum, aut Apostolum ad te mitteret, imò, tanquam si Christus ipse te absolueret. BARR. Con- temnenda sunt ista Papistarum figmenta: E- uangelium enim, & Ecclesia nesciunt iu- risdictiones, quæ sunt non nisi hominum Ty- rannicæ inuentiones. DOCT. Cùm pote- stas Ecclesiæ potestas sit Christi, licet pro no- stris peccatis plærunque tradatur Pilatis, He- rodibus, Annis & Caiphis, violentissimisque aliis Tyrannis: nostrum tamen est, eam sum- mis semper studiis reuereri & colere, ex emplo Christi qui sic Annam, Caipham, Pilatum ho- norauit. Ideo nec indignissimæ eiusdem abu- sionis nos debeat promouere, quin quic- quid ipsa fecerit, hilariter feramus, aut saltem cum reuerentia declinemus. Nam tempus no- strum periculosissimum est: Ideo prudentif- simè oportet nos agere, ne propter personas, potestatem pariter vilipendamus: imò propter potestatem etiam vilissimas personas hono- remus.

COCLÆVS.

*Longum esset, imò infinitum (Illust. Prin.)
referri hïc cunctas vanitates, cōuicia, obscæni-
tates, mendacia, sannas, calumnias, rixas, &
furores Septicipitis huius monstri, in omnem*

statum Ecclesiasticum, annis plus decem con- *In lt. Vist.*
tinuis in publicum edita: Et tamen audet nunc
perfricta fronte rursus admonere populum, vt
honoret presbyteros, & ministros Dei. Et nu-
per in alio libello sic scripsit: Nos autem fate- *In lib. cōtra*
mur, sub Papatu multa bona Christiana, imò *Rebaptiz.*
omne bonum Christianum esse, & inde ad
nos promanasse, nempe veram scripturam sa-
cram, verum baptismum, veras claves ad re-
mittenda peccata, verum predicādi officium,
verum Catechismum. &c. At quoties antea
scripsit, nihil prorsus boni, in & sub Papa es-
se? beatos omnes, qui se ab eo separant, & in
nullo communicant? Quid ergo credas ei post-
hac, qui nec sibi, nec aliis quicquam constanter
credit?

De obedientia erga potestates.

C A P. XIII.

VISITATOR.

AD quartum item præceptū pertinet, obe- *In lib. Vist.*
dire Potestatibus. Paulus igitur Rom. tria
commemorat, quæ potestatibus debentur, pri-
mum est tributum: Idcirco omnē exactionem
pecuniæ, laboris & corporis eis præstare de-
bemus. Secundum est timor, vt eos ex corde
timeamus: Nam qui potestati restit, Dei ordi-